



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

CXXVI. Rainaudi cessio ad Ecclesiam Brivatensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

## CXXV.

*VVidonis Imperatoris preceptum pro monasterio sancte Christine.*

An. 891.  
Ex veteri  
codice Lon-  
gobardico.

**I**N nomine sancte & individue Trinitatis. Vvido divina clementia favente Imperator Augustus. Si antecessorum nostrorum concessa privilegia, maxime divinis locis, etiam nostra auctoritate solidamus, proculdubio id ipsum nobis ad æternam remunerationem plurimum prodesse confidimus. Ideoque noverit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet & futurorum industria quia nos tam divino tacti instinctu quam sempiternæ retributionis compulsi intuitu ad repropitiandum nobis cœlestem Regem & dominatorem omnium, beate virginis & martyris Christiane cœnobium in Italico regno constructum haud p. ocula curte regia Ollona, ubi venerabilis Abbas Rodolphus præfesse videtur, cum omnibus qui sub cura & ditione ipsius sunt famulis Christi, rebus cunctis ac familiis ad eundem locum respectantibus, sub nostro mundeburdum & perennem tuitionem suscipimus. Interventu quoque nostræ dilectæ conjugis Agelguidæ Imperatricis solemniter confirmamus & per hanc nostræ auctoritatis paginam corroboremus quicquid eidem monasterio in rebus mobilibus tempore constitutionis suæ usque in præsens ex dono antecessorum nostrorum & Regum priorum Reginarumque aut aliorum quorumcumque largitione, collatione, vel qualicunque oblatione divina pietas contulit aut largiri dignabitur in posterum, ut habeant illud integrum atque possideant prædictus Abbas vel famuli Christi jure quieto & pacifico, sub nostræ immunitatis protectione in læsi jugiter permanentes, & pro statu nostri imperij Deum supplicantes, omni nostra hereditumque nostrorum ac successorum molestatione remota. Volumus denique ut quotienscunque opus habuerint, de rebus ac familiis ejusdem monasterij, tanquam de dominicis nostris, per publicos actores & exactores inquisitio fiat. Illud etiam interdiximus, ut in domibus & cellulis ejusdem monasterij ex hoc nunc & in posterum nullus mansionaticum, teloneaticum, ripaticum, aut aliquas publicas functiones exquirere audeat, nullamque in commenditiis præfati Abbatis vel famulorum Dei liberis ac servis, massariis, libellariis, aldionibus inferat violentiam, aut eos potestativè distringat aut pignorare præsumat, & sicuti antecessorum nostrorum auctoritate eidem loco venerabili constat esse collatum, ita firmum & stabile permaneat in ævum. Sancimus siquidem & nos, veluti à divæ memoriæ antecessore nostro Karolo Imperatore constitutum est, ut si divina vocatione Abbas illorum ab hoc seculo migraverit, habeant potestatem inter se eligendi Abbatem. Si quis autem contra hanc jussionem nostram teniti vel refragare aut eam irrumperere tentaverit, auri obrizii libras centum persolvat, medietatem palatio nostro, & medietatem prædicto cœnobio. Erut hoc certius credatur & firmius observetur, propria manu confirmavimus, & anulo nostro subter jussimus sigillari.

Tom. II.

Signum Domni Vvidonis serenissimi Imperatoris Augusti.

Helbancas Archicancellarius jubente Domino Vvidone Imperatore recognovi.

Datum 111. Kal. Jul. Indictione 1x. anno incarnationis dominicæ DCCCXCII. anno Domini Vvidonis regni ejus 1111. Imperij 11.

Actum Papiæ in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXXVI.

*Rainaudi cesso ad Ecclesiam Brivatensem.*

**S**acro sanctæ Dei Ecclesiæ Brivatensi vico sitæ, qua vir beatus Iulianus martyr requiescit cum sociis suis, & cui Guilelmus Comes & Abbas præfesse videtur, necnon Eldefredus Præpositus, seu Nectardus Decanus, vel ceteri Clerici qui ibidem famulantur. Ego Rainaudus pro amore Dei & salvatoris nostri Iesu Christi cedo ipsi cassæ Dei suisque servientibus censum quod imperpetuum esse volo, & de meo jure in vestra donatione trado. Hæc sunt res meæ proprietatis quæ per conquestum mihi evenerunt, quæ sunt sitæ in \* urbe Arvernica, in comitatu Brivatensi, in villa cui vocabulum est Casalellis, cedo Deo & sancto Iuliano suisque servientibus massum unum cum curta & horto & exio & vinea 1. & campello 1. Istæ res ipsi masso adherentes habent fines de uno latere sita publica, de superiori latere terra est sancti Iuliani, & de subteriori verò est terra Bladini & Rhildis & heredum suorum. Istud confinium per bodina positum cassæ sancti Iuliani suisque Canonici cedo in stipendia fratrum pro anima mea totum vobis. Taliter verò complacuit mihi ut dum ego Raganfredus amicus meus vixerimus, usum fructuarium possideamus, post obitum meum Raganfredus ipsas res possideat, & in censum Missæ sancti Iuliani denarios duodecim per singulos annos; postque suum discessum ipsæ res cassæ sancti Iuliani revertantur sine ulla contradictione. Sanè si quis homo aut ulus de heredibus meis aut qualibet potens persona quæ contra vos vel contra concessionem meam aliquid mali dicere tentaverit, in vanum laboret, & quod protulit venti ferant, & insuper auri libras duodecim vobis coactus persolvat. Facta ista carta in die sabbati in mense Octobrio anno quarto regnante Karolo Rege Francorum. Rainaudus teste, qui concessionem istam sancto Iuliano fieri rogavit, & Ingualdo, Bladino, Girberto, Radulfo.

An. 892.  
Ex chartulario  
Ecclesiæ Bri-  
vatenfis.  
cap. 33.

\* urbe Ar-  
vernica.

## CXXVII.

*Ermengardis Comitisse Cevitanie donatio ad monasterium sancte Marie Arulensis.*

**I**N Dei nomine. Ego Ermengardis Comitissa & filiis meis Bernardo Comite & Guifredo Comite & Berengario Episcopo, nos simul in unum donatores sumus ad cœnobio sancta Maria Arlas alaudem nostrum qui nobis adventit per vocem Domini nostri Olibano Comite vel per com-

An. 893.  
Ex chartulario  
monasterij  
Arulensis.

Dddd